Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Num. XCVI. ANNI 1676. 1. DECEMBRIS.

1676

Visual Library

PUBLIC RECORD OFFICE

Num. XCVI.

ORDINARIÆ RELATIONES
ANNI 1676. 1. DECEMBRIS.

Viennâ, 19. Novembris.

AVguſtus Cæſar, celebratâ ſollemniter in *Cloſter-Neuburgh* feſtivitate S. Leopoldi Margravii, dum viveret, Auſtriaci, lapsâ Solis poſt meridiem huc redibat, vectus Danubio: 23tiâ labentis certo certiùs proficiſcetur Paſſaviâ ad maturandas nuptias. Internuntius Turcicus ad alloquium Aulico-bellici Senatûs Præſidis Com. Montecucoli recens admiſſus, 1. generoſum dono equum offerebat, 2. de 3tiis Cæſareis nuptiis quamofficioſiſſimè gratulabatur, 3. humillimas deponebat querelas de pabulabundis Huſſarorum inſolentiis, 4. denique de reſtauratione pacis agebat ſtudioſè, ventilandâ ſtudioſiùs ab adproximante Magni Turcarum Oratore; inſuper confirmabat, Aulam Turcicam in ſeveriſſimis mandatis dediſſe Principi Abaffio ceteriſque limitaneis Gubernatoribus, ne Vngaricæ rebellibus ullum nec leviſſimum aſylum præbeant fugientibus, minùs multo nervum, annonam & ejuſmodi neceſſaria iiſdem ſubminiſtrent, ſed illos ſub capitis revellendi pœna moneant armorum abjectionem, rebellionis dimiſſionem, animorum tranquillitatem, & debitam Regi ſuo Imperatori Romano ſubjectionem: mandatum intereà finitimis Vngaricæ noſtræ munitionibus, circumquaq; munimentorum, ſi collabaſcant, robora reſtaurent, non exiguâ nervi annonæque copiâ arm & granaria compleant, præſidiarias demùm, in ſui roborationem, legiones multorum noviciorum delectu quantocyùs augeant. Curſor ex Imperio nuntiat, jam tũ 6000. Cæſareorũ militum; ad Briſacum hac hieme circumvallandum eminùs, in hiberna Briſgoviæ & Sundgaviæ diverſiſſe, ceteras autem, præter Gallaſsicam & Bornonvillicam in Bohemiam accerſitas, in Sueviam & Franconiam deſtinatas: In Vngaria rebelles plurimùm recreat pax Polono-Turcica, convenienter litteris Magnatis Vngarici recèns interceptis, ſpe non ſpernendi auxilii lactatos, ſibique ſociandum Marchionem de Bethune cum octo Polonorum millibus: contrà nonnulli opinantur, pacem, cum Turcis à Polonorum Rege concluſam, eſſe nullam, 1. quòd Poloni nomen *Tributariorum* refugiunt, 2. nullatenùs Caminecũ nudari mœnibus, 3. multo minus Turcis tradi volunt, 4. Doroſenskius centum millia virorum congregat, è poteſtate Turcica diverſas Vcrainæ & Podoliæ Civitates recuperaturus.

Pariſiis, 20. Novembris.

BEllum exoſæ plebi placet, promiſiſſe Regem; ſe pro viribus pacem hac hieme in Gallias ſitientes tranquillitatem reducturum: Quot è Sicilia Veredarii advolant, toties variatur ſtatus illius; nunc in noſtras; nunc in Hiſpanas partes declinans: noviſſima fama credit, Syracuſas cum noſtratibus contraxiſſe deditionis articulos, conſummandos; dum duodecim dierum intervallo poſt eorum concluſionem non adproximaret ſubſidium. Madrito adlapſum, ſtatuiſſe Regem; poſthac Mari propriis non ſum, Confederatorum uti viribus, eoque fine exſtruere & armare claſſem centũ & pluriũ ratiũ, tùm mavortiarum, tùm triremium. Curſor è caſtris Crequyanis memorat Mareſcallum de Crequy, intellecto, Principem Cellenſem Bipontanam obſidionem auſpicaturum, in illum caſtra moviſſe feliciter, obſeſſos ceptâ liberaſſe obſidione, hoſteſque coegiſſe ad illam volentibus nolentibus ſolvendam: Cæſar recuſavit armorum inducias ut dicitur, nomine Pontificis maximi à Nuntio Apoſtolico ſollicitatas. In Anglia credimus ventilari pacem Sveco-Danicam & Brandenburgicam, cum utriuſque belligerantis partis Oratores morentur Londini. Incendio nuper Burdegalæ propè Carthuſiam exorto domus plurimæ ſunt conſumtæ multumque damni invectum. In *Auche* Vrbe Gaſconiæ dies aliquot publicè ſpectatum monſtrum non ità pridem natum; puer nimirum ſeptem capitum, totidemque collorum. Quidam è Regiis Medicis in Lugdunenſes detruſus eſt carceres, quòd clandeſtinas cum Hollandis per Angliam coluerit correſpondentias. Neapolitano Pro Regi recens aliqui obtulerunt pro emolumento Hiſpaniarum centum & octoginta nummorum coronatorum millia, exigentes aliqua firma & pinguia bona feudali; cùm nummorum redditio facta fuerit, reſtituenda, eouſque vero ſine redditibus ſeu uſufructu; ſed ſolum de jure ſimplici poſſeſſionis occupationa: oblatio illa jam tum acceptata; ſolùm agitur de aſſignandis feudis, eâ quâ decet, promtitudine: Genuenſis Reſpublica ſub hoc feudorum prætextu dictam pecuniæ vim ut privatum ſubſidium contrà Gallos gratis dicitur Hiſpanæ Aulæ offerre. Quandoquidem Cardinalis Nitardi creatus eſt Archi-Epiſcopus Panormitanus; Madrito in Italiam proficiſcetur Marchio de Lighe, legationis functurus munere.

Argentorato, 24. Novembris.

CAEſareus & Gallicus Exercitus ad hiberna tendentes addidêre colophonem expeditionibus anni 76: vere proximo de novis ſcribendi anſam daturi: quorundam litteræ ſine certitudine affirmant; quod Princeps de Luxemburgh urbem *Montbellart*; caſtra Gallica ſine ſui læſione tranſitura exiſtimantem, poſt paucorum dierum obſidionem violentâ manu debellaverit; de quo ſi verum, proximè: in Svevia hibernabunt quatuor pedeſtres & octo equeſtres legiones Cæſareæ cum equeſtrib. pedeſtribuſq; copiis Lothariugicis, in Franconia totidẽ pedeſtres & ſeptem equeſtres: Cæſareus equitatus viget, peditatus verò langueſcit ob devoratum frigus: maxima Gallorum pars in urbibus Alſatiæ hibernabit, vicinos agros eò potentiùs ad tributorum ſolutionem coactura: his contrà inſolentiis invigilabunt lynceè & antevertent ſtudioſè hibernantes in Svevia copiæ Cæſareæ.

Hamburgi, 24. Novembris.

DEo quidem grates maximas Varſavia de pace Polono-Turcica retulit labentis undecimâ, canens Hymnum Ambroſianum; prudentiores verò Civium paxalla in triſtitiam & ſuſpiria potiùs quàm lætitiam inducit, dum maxima pars Vcrainæ, univerſa Podolia & munitiones *Bar, Mildzibols* &c. ut multa palatii, partes Regni Poloniæ ceteris, quæ ſuperſunt, majores in poteſtatem Ottomannicam devolutæ. Princeps Moſcoviæ legato in Poloniam Oratore, rogavit Regem, ne pacem cum Turcis conſtaret, ſpondens ſuppetias, quas Exercitus ſuus; qui jam tum trajecit Boryſthenem, certo certiùs cum certa Turcarum repulſione daturus beneficio occupati Czecherinis inſuli cum Doroſenskio contractus & diviſarum Coſaccorum virium tùm Turcis tùm Moſcis adhærentium; verùm intelligimus; Oratorem illum initâ adveniſſe pace & ſerò, imò Aula Polonica in bellum cum Moſcis quam in unionem virium videtur proclivior: porrò Varſaviæ Nuntius Apoſtolicus [illegible] rimè fert pacem illam, ſollemniter; [illegible] proteſtatus contrà [illegible]

148

COPYRIGHT - NOT TO BE REPRODUCED PHOTOGRAPHICALLY WITHOUT PERMISSION

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG

Caminecenſis partam pace, continuiſque inſtantiis ad continuationem belli contra Turcas offerens annuè grandem pecuniæ molem; verum prævalent politica Gallorum promiſſa. Cognovimus Hafniâ, quâ violentiâ Sveci invaſerint Hellingburgû præſidiariis prævie nudatum, quâ barbarie non militibus ſed barbaris propriâ in Cives inſontes ſævierint, quâ crudelitate Neo-Conſulem à Danorum Rege Civitati præfectum necârint, corpuſque ſemivivi membratim diſſciderint: multi quidem, prævisâ illâ invaſione, nobiliorem ſupellectilem Helſignoram tranſtulerant, amplas nihilominùs rapuêre prædas, maximam enim impedimentorum partem miles ibidem reliquerat, & armamentarium nervo complere ceperant incolæ: ne minimo fulmine laceſſierunt arcem urbis expilatæ, quâ Gubernator copias aliquot emiſit, adeò victorioſè cum Svecis velitatas, ut, quamvis ſub auſpiciis Comitis Magni de la Garde, aut, ut alii, Ducis Ebbe Vlefeld invadentium octo numerarentur millia, recuperatis amplis ſpoliis beatæ reverterint, trecentis Svecorum necis laqueo inſertis: nonnulli credunt, ſe-aut octodecim Svecorum millia in duas diviſa phalanges, intenta redemtioni Malmoenſium, quam dum non prius auſura nec executura, niſi Danico milite diverſis munitionibus, & acceſſibus, quos occupant, expulſo; diverſis Danos dolis in apertum campum ſtudent elicere, ſed fruſtrà, hi ſiquidem ſubodorantes dolum non provolant, nec ægre ferunt circumvagantium Svecorum inſolentias. Engelholmienſe armarium Sveci nervo exuerunt: ibi & vicinis in locis decumbentes ultrà quingentos, infirmos Danos in ipſis lectis enecârunt &, ſpreto belli jure, ruricolas obvios vitâ crudeliſſimi privârunt: inter hæc Danicus duodecies mille virorum Exercitus augebatur quatuor Epibatarum millibus & bismille ſexcentiſque peditibus: Rex Daniæ ex obſidione Malmoenſium eminùs cepta & hucuſque continuata accerſiebat Generalem Majorem Merheim, qui ad mandatum hoc cum quadringentis equitibus accedens, incautos & inermes bis mille Svecos trium dierum fame ſemi-exhauſtos profligavit: Rex, ad certamen paratiſſimus, ſperanſq; in apertos agros proditurum Regem Sveciæ, tres dies noctesq; ſine intermiſſione vigilantiſſimus, circumequitans continuò legiones, ad virilia pectora generoſumque prœlium extimulabat: caſtra ſua ſub dio *Lands-Cron* inter & Helſingburgum ſubſiſtentia vix horæ ſpatio ab Hoſtibus Malmoenſi Civitati ſuccurrere volentibus, & eo fervore pugnæ inhiantia, ut credamus hoſtiles militem manus conſeruiſſe, de quibus aliàs; jam tùm nonnulli referunt, certamen habitum, Generalem Arensdorff ſauciatum, D. Stocken & ſup. aciei præfectum D. Brandt à Svecis cum numeroſo ære, pharmacopolam Exercitûs Danici & regii panis coctorem in vincula Svecica abſtractos: hæc falſa apparent, cum dictus D. Stocken recentiſſimè Hafniam litteras propriâ manu exaraverit: alii demùm affirmant, Generalem Copp cum Cæſareâ ſuâ phalange in Daniam tranſiturum.

[illegible] Albis, 24. Novembris.

E Piſcopo [illegible] Orientali [illegible]

ad Aulam Moguntinenſem, ad quam olim deſtinatus redeundi provinciam, cum mihi omninò labore ſuo indefeſſo expediri videat, & Elector Moguntinus Cæſarem quoque roget ejus, utpotè viri prudentiſſimi & hoc rerum tempore ſibi neceſſarii, ad Aulam ſuam adventum. E caſtris Brandenburgicis Berlinum redierunt Orator Hollandicus, Gen. Spann pluresq; Ipſe Elector cum conjuge & aula reditui accinctus, tùm equitum cùm peditum copiis quamplurimis Stettinum hac hieme juſſit circumſepi.

Bruxellis, 26. Novembris.

FAma dubia, Ducem de Montalto, Equitatûs noſtri præfectum, hinc ad Aulam Hiſpanam revocatum. Juſſu Gubernatoris Belgici, volentis luſtrari in armis militem hujatem, Commiſſarii ad Provincias quilibet ad diſtrictum ſuum concedunt, facturi quod imperatum. Nondùm miniſtrata nobis Hiſpani [illegible] cambia abrumpunt curſum plurimorum negotiorum. Agricolæ ruris VVaeſenſis ſexcenta florenorum millia Gallis jam tum ſolverunt, juſſi non ſolvere cætera trecenta millia, ad quorum ſolutionem vi contractûs obligabantur, vi vim fracturi auxilio copiarum quas miniſtravimus. Marchio de Bethune, Polonorum Regis affinis paſſib. celerrimis Leodio in Gallias profectus, de rebus gravibus, concluſa pace Polono-Turcicâ, cum Rege conſultabit.

Hagâ Comitis, 26. Novembris.

GRandem pacis ſpem imaginantur ſibi diverſ[illegible]rum circumſtantiæ. In Senatu Procerum de[illegible]ratur de armatura proximi anni: nondùm divu[illegible] ſcribendorum militum diplomata, prodibunt [illegible]ximè. Hæc pauca de Svecis audiimus, *Reviviſcunt* [illegible] *ma Svecica, mortemque Bellonæ Danicæ minantur.* [illegible] ſtante Veteris Princeps Auriacus in Selandiam [illegible] faciet iter, dies octo novemve manſurus.

Antverpiâ, 27. Novembris.

HOc opus hic labor eſt Gallorum ut hanc [illegible] mem Valencenam & Cameracum arctiſſim[illegible] occludendas, verè proximo obſideant, niſi pax id [illegible] tuerit. Pariſiis in Aula regia ventilatur acerrimè [illegible] quæſtio, num expediat, Siciliam prorſus deſerere [illegible] quam maximis ſumtibus totam ſubigere; plu[illegible] vota ſuadent, deſerendam eſſe, dùm majore cu[illegible] molumento ſumtus illi aliis Galliarum neceſſita[illegible] immolari poſſent: hæc ratio fuit adeò efficax, ut [illegible] duorum triumve menſium ſpatio totam ſubju[illegible] tiur, illâ Galli ſint ceſſuri: porrò ſpem faciunt c[illegible] dendi armiſtitii, quod volens nolens hiems im[illegible] ver autem excutit. *Ex Tractu Moſæ, 28. Nove[illegible]*

INdefeſſo hactenùs labore reparatis Trajectum mœnibus præteritâ hebdomade ultimam manum addiderunt, juſſique domus ſuas redi[illegible] colæ, quorum manus eodem in opere ſudarent [illegible] ſectum ex cenſibus zythi, panis, & ejuſmodi neceſſariorum hac hieme præſidiarios ſuos alent. [illegible] quinquaginta equitum turmam ad Haſtletanas [illegible] que portas nuper prædabundam [illegible] quinta Hollandorum equites & viginti [illegible] rem beatam [illegible]

Staats- und
Universitätsbibliothek Bremen
DFG